

Statuendam: interim ab ejus participatione corpus excludendum non esse, cum lux sapientiæ radios quasi per corpus sparserit, cum concreata justitia per corporis membra efficax fuerit. Seb. Schmid. de Imag. Div. p. 356. Quodsi corpus vitæ per animam fit particeps, ut quid non vitæ sapientis, justæ, sanctæ? Uti que quemadmodum corpus vitæ est particeps, dum vivum animæ instrumentum redditur, per quod anima vitales suos actus exerceat: ita idem corpus sapientiæ, Justitiæ, sanctitatis &c. fit particeps, dum ejusmodi animæ instrumentum efficitur, per quod illa vitales suos actus sapientes, justos, sanctos exerceat.

Idem pag. 360. Homo dicitur factus in imagine Dei: in imaginem Dei totus quasi immergitur, ut nihil hominis sit, quod non sit in imagine divina, & in quo non sit Imago Dei.

Obi. 3. Probatur idem ex Renovatione, quæ non immutat, sed restituit imaginem divinam. Unde argumentum efficimus: Quidquid nobis per Renovationem restituitur, id in Adamo amissimus, id fuit pars imaginis divinæ. Atqui Temperies sanctior sive spiritualis. Ergo, Minorem docet Theologia Paulina. Nam in fidelibus corpus ad talem dispositionem renovatur, ut sit templum Dei I Cor. VI. 19. ut sit oblatio viva, sancta, bene placens Deo Rom. XII. 1. ut sit instrumentum justitiæ, & quidem servum justitiæ (δούλον τῆ δικαιοσύνη) ad sanctificationem Rom. VI. 13. Ut non minus corpus quam spiritus & anima irreprehensibiliter (ἀμείπτως) servetur I Thess. V. 23.